



**Rev. Patr. Joannis Laurentii Berti, Ord. Eremit. S.
Augustini, Theologia Historico-Dogmatico-Scholastica,
Seu Libri, De Theologicis Disciplinis**

Berti, Giovanni Lorenzo

Monachii [u.a.], 1749

Caput XX. Perpauca circa Civiles leges Rudimenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83665](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83665)

CAPUT XX.

Perpauca circa Civiles leges Rudimenta.

SUMMARIUM.

1. Notanda de legibus civilibus.
2. Leges Athenienses vel Atticæ.
3. Leges pro servanda honestate Matrimonii.
4. Leges de furto.
5. Leges Romanorum.
6. Leges de Religione & cultu Parentum.
7. Leges de Homicidio.
8. Leges contra libidinem.
9. Leges aliæ de furto.
10. Leges Romanæ convitiæ, & falsum testimonium inhihent.

11. Concordantia Legum Romanarum cum Atticis.
12. Leges Romanæ ab Atheniensibus derivatæ.
13. Cohærentia aliquarum Legum cum libris Genesis, Exodi, & Levitici.
14. Romanæ & Atticæ leges derivantur ex hebraicis.
15. Præter Leges dantur peculiaria statuta.
16. Justiniani statuta.
17. Notæ quædam.
18. Quid contineat Codex.

1. Notanda de legibus civilibus.

QUAMQUAM ad libri hujus institutum Civilium legum dissertatio non pertinet, neque potest illa limitibus hisce comprehendi propter dignitatem disciplinæ rerumque amplitudinem: quia tamen sunt politicæ omnes constitutiones imagines quædam divinarum, atque perutile est nec injucundum Theologo aliquam illarum notitiam assequi; oro ne tibi, Lector, molestum sit post alias multas hanc meam excipere lucubrationem.

2. Leges Athenienses vel Atticæ.

Inter civiles leges quarum etiamnum aut tabulæ extant, aut sparsa saltem fragmenta, præter Hebraicas & affines Aegyptiorum, principem sibi vindicant locum Athenienses, vel Atticæ, ex quibus originem ducunt Romanæ. Si quis illas intelligendi cupiditate tangitur, adeat percelebres viros, Sigonium in libris de Republica Atheniensium, Thyrium, & Salmasium de Jure Attico & Romanorum, duosque saltem libros Meursii, quorum unus inscribitur Themis Attica, & alter Solon. Percipiet ex his, quomodo primus omnium post Cererem dicatur Atheniensibus leges tradidisse Triptolemus, easque explicasse Solon, ut Gellius scribit lib. 11. cap. x. *axibus ligneis incisas*. Generales leges, quas Triptolemus constituit, sunt: *Parentes honorare, Deos fructibus colere, animalia non ledere*. Hoc postremum apud Hieronymum adversus Jovinianum idem est, ac animalium carnibus non vescendum. Speciales leges versantur circa homicidium, matrimonium, furtum, maledicta, Magistratum. De homicidio statutum, nullum prorsus iri impunitum, & exterminandas etiam res inanimatas, cædisque instrumenta; ut colligitur ex Oratione Aeschini in Ctesiphontem. Statutum tamen præmium occidentibus tyrannum, idemque, ac Olympionicis, ut inquit in Hermogenem Syrianus. Per-

missum justum bellum, decretumque præmium inventoribus novorum armorum, ex eodem Auctore ibidem. Prohibitum militare infami, & ægroto: ac sancitum filiis patrum, qui in bello decumberent, ex ære publico alimentum usque ad pubertatem, ut colligitur ex Aristide. Insidiantem vitæ alienæ tanquam homicidam judicandum, constat ex declamatione XIV. Libanii.

Pro matrimonii honestate servandâ statutas sequentes leges invenimus. Pausanias scribit vindicandi adulterii legem posuisse Draconem; & Solon, ex Plutarcho in ejus vita, permisit interfici adulterum: addit Sopater etiam multatum dote, quæ cederet viro. Contumeliam illatam ingenuis pueris reprehendit auctoritate legum in Timarchum Aeschines, ubi etiam de pœna corpora prostituentium. Nothos inter propinquos habendos non esse lege Attica, liquet ex Avibus Aristophanis. Nefas erat, ut Marcellinus scribit, cum Tutore, aut filio ipsius virginem pupillam inire conjugium. Nupta impotenti poterat ad alium transire, lege statutâ à Solone; de qua & Plutarchus in ejus vita, & Terentius in Hecyra Act. 1. Sc. 2. In solvendis tamen connubiis lites divorcii deferendas ad Archontem, idem Plutarchus scribit in Alcibiade.

De furto has constitutiones inter Atticas adinvenio. Quisquis alienam rem surripit, etsi olus tantum, aut fructus hortenses, lege Solonis morte damnatur. Non poterat publici ararii defraudator aut debitor aliquod Reipublicæ munus capeßere, ut inquit Demosthenes in Theocrinem. Ex Cicerone de Optimo genere Orat. habemus, nihil nisi in concione à populo fuisse donandum. A pupillis nil alienandum absque potestate Archontis, auctor est in Hermogene Marcellinus. Vetitum Mercatoribus alio, quam Athenas vehere frumentum,

3. Leges pro servanda honestate matrimonii.

4. Leges de furto.

mentum, noſcitur ex Oratione Demosthenis in Phormionem. Has conſequuntur leges in ſycophantas, & maledicos. Datam actionem in falſos teſtes, evincitur ex Oratione ejuſdem Demosthenis in Evergum. Prohibitum ſervo proſcindere convitiis liberum, & cuique maledicta jacere in mortuos lege Solonis; de qua in ejus vita Plutarchus. venatoriam in Magiſtratu dignitatem nullus ante annum triceſimum capeſſebat, ut inquit Xenophon. Lex ſcortatores & maleficos à ſuggeſto arcebat: & nova lex centum annorum conſuetudinem pro ſui inviolabili auctoritate poſtulabat. Ad hæc capita leges Athenienſium, quas præclaris animadverſionibus laudati viri illuſtrant, breviter revocare non dubitavi, ſervata quadam cum Decalogo methodi ſimilitudine.

5.
Leges Romanorum.

Post Atticas veniunt commemorandæ leges Romanorum cæteris omnibus, ut Polybius inquit, anteponendæ. Varia his nominibus data; nam aliæ appellatæ ſunt *Regiæ*, quæ de imperio Regum latæ ſunt: quædam *Tribunicæ*, conſtitutæ à Tribunis pl. leges *XII. Tabularum* à Decemviris ſancitæ: dicta lex *Curiata*, lata à Magiſtratibus patriciis jam designatis, vel in provinciam, & ad bellum cum imperio præſecturis: *plebiſcita* dicebantur decreta populi. Leges præſcriptæ de jure triumphandi appellebantur *Triumphales*: *Sacrata*, quas transgredientes diis ſacrabantur: latæ autem de rebus variis ac diſcrepantibus, quaſi à ſaltatione Satyri, dictæ *Satyriæ*. Quamplurimæ tamen à legiſlatoribus nomen accepere, ut *Aurelia*, *Pedia*, *Clodia*, *Hoſtilia*, *Ducilia*, *Menenia*, *Cincia*, *Aquila*, *Cassia*, à L. Aurelio, à Q. Pedio, à P. Clodio, ab Hoſtilio Mancino, à M. Ducilio, & L. Menenio, à M. Cincio Alimento, ab Aquilio, à L. Cassio. *Julia* dicitur lex promulgata ab Auguſto orto quidem ex familia Octavia, ſed in Juliam cooptato. At plura de his Ber. Briffonius De Verborum ſignificatione, & Antonius Auguſtinus Archiepiſcopus Tarraconenſis, qui ordine Alphabeti ſingulare volumen edidit de legibus Romanis.

6.
Leges de Religione & cultu parentum.

Missis autem legum vocabulis, attingam quædam de rebus ſervato eodem ordine, id eſt nonnulla primum in genere commemorando ſpectantia ad religionem, cultumque parentum, poſt hæc leges aliquas, ad homicidium, ad fornicationem, ad furtum, ad falſos & maledicos pertinentes. Sunt in prima claſſe leges ſacræ, quibus Romulus vetuit Divina tractari à plebeis, ut ſcribit

Cicero in tertio de Natura Deorum, ſtatuit augures ac Sacerdotes, prohibuit nocturna mulierum ſacrificia, atque vigiliis in templis. At Numa totus in re Divina ſexaginta Sacerdotibus electis à Romulo adjecit Flaminem Dialem, Martialem, Quirinalem, Veſtales virgines, Salios Marti Gradivo duodecim, & Pontificem Maximum ex Patriciis. Statuit, inquit Plinius lib. VIII. cap. 2. *Ut Deos fruge colerent, & mola ſalfa litarent.* Pro familiæ regimine conſtitutæ leges. Incutit filiis timorem ac reverentiam lex quam recitat Feſtus: *Si parentem puer verberit, aſt ille ploraſſit parentes; puer diviſ parentium ſacer eſto.* Nulla lex *Silvia*, id eſt Romuli, contra percussores parentum, *Qui neminem unquam tam ab humanitate averſum, tam naturæ inimicum fore exiſtimavit, ut parentibus, unde vitam ipſam ac lucis uſuram accepiſſet, manus inferret,* ait cap. 26. de legibus Romanis Paulus Manutius. Adoptio in filios lege Curiata fiebat apud Pontifices. Omnes virilis ſexus filii ut inſtituerentur hæredes, erat Junia Velleſa. Ad æquitatem juris ſervandam, Aebutia mandatur, ne cognatis, & affinibus detur citatio, Claudia de Tutelis mandat tutelam faminarum conſanguineis. Tutorem dandum à Prætorè præſcriptæ Atilia. Cautum lege Voconia, ne quis filiam hæredem relinquat ſupra H. S. XXV. Uxorem cum viro rerum omnium eſſe ſociam, eoque deſuncto æqualem cum filiis habere hæreditatem, fuit lex Romuli, ut Dionyſius, & Plutarchus prodidere. Hæc perpatrica de legibus ad cultum Deorum, & familiæ regimen pertinentibus univerſim dicta ſint.

Ad homicidium attinent quæ ſequuntur. 7. *Leges de homicidio.* Damnandum publico judicio, qui hominem occidit, aut occidendi cauſa cum telo ambulavit, aut venenum paravit, vel vendidit, lex eſt Cornelia de Sicariis. Omnibus, qui Cæſarem interfecerant, lege Pedia aqua, ignique interdictum. Parricida, & quisquis filiis, & affinibus præparaverit fata, l. Pompeja de Parricidis, inſutus culeo cum cane, & gallo gallinaceo, & vipersa, & ſimia in vicinum mare, vel amnem eſt projiciendus. Lædentibus alterum vel mutilantibus ſtat lex Decemviralis: *Si membrum ruperit, ni cum eo pacit, talio eſto.*

Inſtituta ad coercendam libidinem 8. *Leges contra libidinem.* lex Julia de Adulteriis, & de Pudicitia; atque his etiam divortiis modus impoſitus. Firmatur ibidem lex Romuli, *Adulterii convictam vir, & cognati, uti volunt,*

volent, necanto. Stuprator verberibus necabatur, inquit Festus. Pellex ædem Junonis non poterat tangere. Qui divortium faceret, ei Diis inferis sacrificandum. Puniri probum Vestalis, illamque ad portam Collinam defodi vivam statuit Numa Pompilius. Propter mundiorum iusto cultum suspectam fuisse Minuciam Vestalem, narrat Livius octavo libro. Irrogata pœna vim inferentibus adolescentulis, & alienam pudicitiam sollicitantibus, aut propriam prostituentibus, ad x. millia num. lege Scatinia, aut Scantinia, lata, ut fertur, ob Scantinium Capitolinum. Ad honestatem connubiorum statutum in xii. Tabulis, ne Patriciis liceret jungi cum plebe, neque libertinam ingenuus, aut ingenuam duceret libertinus; at abrogatum per legem Papiam. Etiam vino nuptæ abstinendum erat lege Romuli.

9. *Leges aliæ de furto.* Lata adversus furtum leges sunt. In xii. Tabulis. *Si quis nocte furtum faxit, & in aliquis occisit, jure casus esto, & Frugem aratro quasitam furtim noctu si pavierit, secueritve pubes, suspensus Cereæ necator: impubes verberator; noxiamque duplionem præstato.* Furtivarum rerum possessionem inhihet l. Atinia, De usurpatione: Furtum quodlibet l. Hostilia. Plagiariis l. Fabia pœna capitis irrogatur, necnon ei, qui liberum sciens emit. Non punitur tamen possidens bona fide mancipium. Puniendus lege Julia de Annona citata ab Ulpiano lib. ix. qui contra annonam fecerit, societatemve coierit, quo cærior fiat. Extat in l. Aquilia, ut damni injuria lati sit actio: & qui sciens damnum dederit, reddat quadruplum, qui insciens simplum. De repetundis pecuniis extat Acilia, sive *repetundarum*: De pecunia pro frumento contra jus accepta, l. Cassia, sive *Agraria*; de munere illicite accepto l. Cincia *Muneralis*.

10. *Leges Romanæ, convitia, & falsum testimonium inhihent.* Convitia, testimonium falsum, calumniam inhihent æque Romanæ leges. In xii. Tabulis extabat: Ut si quis actavisset, aut carmen condidisset, quod infamiam, flagitiumve alteri inferret, capite puniretur. Fecit L. Sylla Majestatis crimen, ut habemus ex Epistola Ciceronis ad Appium. Pœnam irrogat ei, qui testamentum falsum scripserit, recitaverit, sculpsit dolo malo, l. Cornelia *Testamentaria*; quibusvis calumniatoribus Remnia. Qui duobus diversa testimonia præberent, puniendi l. xii. Tab. i. & quisquis falsum dixisset testimonium è saxo Tarpejo erat deji-ciendus. Nec Censoribus in Senatu fas erat ignominia afficere, nisi accusatos

jam & damnatos. l. Clodia de Nota Censoria. Leges Romanas alias Sigonius, Manutius, Panyinius, alique exponunt prioribus Voluminibus Romanarum Antiquitatum.

Facile ex his deprehendes legum Romanarum cum Atticis concordantiam. Quod ut percipias magis, iterum per utrasque tenentes eundem ordinem discursuramus. Spectat ad Religionem lex xii. Tab. *Separatim nemo habessit Deos, neve novos, sed ne advenas, nisi publice adscitos privatim colunto*: atque eadem est lex Draconis apud Porphyrium. Lex vii. de Festis lata ab Imp. Valentiniano, Theodosio, & Arcadio, consimilis est Atheniensi, quam citat Demosthenes adversus Midiam, *Nemini mysteriorum diebus manum injecito*. Quæ est l. vii. de Off. Proconsulis, derivata à scito Platonis in Phadone, *Nemo occidendus, dum navigatur in Delum*. l. v. §. xiiii. D. de cognoscendis & alend. liberis, fuisse Atheniensem constat ex Diogenē Laërtio in Solone. Lex Numæ innovata in Cornelia de Sicariis, *Si quis liberum sciens dolo necavit, parricida isto*, extat etiam apud Antiphonem. Attica lex, *Si quis adulterum deprehenderit, de eo statuat quod libitum est*, laudata à Lyfia pro Eratosthene, eadem est xii. Tabularum, & Papiniani l. 2. D. ad l. Juliam de Adult. Altera huic affinis lata à Dracone, *Si quis occiderit deprehensum super uxore, vel super filia, vel super sorore, ob hæc qui eadem fecerit ne exilato*, extat in Ulpiano l. 23. ad eandem Juliam. Non discrepant l. Solonis, *Si quis ingenuam mulierem rapiat, vimque inferat, multator*, ab ea, quam statuit Justinianus l. un. Cod. De raptu Virg. seu vid. Draconis lex contra furtum, moderata à Solone, & quæ declarat sceleris purum, qui furem noctu ingressum interficiat, habetur in xii. Tab. & apud Ulpianum l. 4. D. ad l. Aquiliam. Cautum legibus Athenarum ne Advocatus extraordinariam pecuniam accipiat litis causa, ut liquet ex Demosthene De Corona; idemque firmatum est l. ii. §. x. & xii. D. de Extraordin. cognit. Irritat contractus repugnantes aequitati l. vii. §. 7. D. de Pact. de qua etiam Aristoteles lib. i. Rhet. cap. xvi. Habetur in Demosthene πρὸς Ἀπολλόν, lex, *Qui falsum dixerint testimonium, de bonis & bonore periclitantur*, ac repetitur l. xii. de Testib. & l. 14. C. eodem, & l. xxxii. D. de Re Judic. Obijcentibus probum alicui, quod demonstrare non possint, ut accusationi subiaceant, mandat lex Athe-

II. Concordantia legum Romanarum cum Atticis.

Athenienſis apud Dionem Chryſoſto-
mum Orat. 15. nec non Romana, apud
Ulpianum l. 5. §. Si quis, lib. D. de in-
juriis, & famoſis libellis. Sed plura de
his in Concordia legum utrarumque,
quam Antonius Thuſius elaboravit.

12.
Leges Ro-
manæ ab
Athenienſi-
bus deriva-
tæ.

Haud dubium ergo, Romanas leges
ab Athenienſibus derivatas, præſertim
cum circa an. U. C. 300. tres legati Ro-
mæ adierint Athenas, ut Græcorum le-
ges colligerent atque in Latium defer-
rent. Quod ubi fecerunt, creati cum
aliis ſeptem Decemviri, atque ab his le-
ges in tabulas x. digeſtæ, duabûs poſt-
modum adjectis. Sed ſuas leges fuiſſe
Romæ ante Reges exactos, liquet ex
his, quas à Romulo Urbis Conditor, &
Numa latas animadvertimus. Si reci-
pimus Vulterrana fragmenta, Romulus
primum Volaterris Senator electus,
deinde illinc Sacerdotes, & Augures
Romam accivit, atque Etruſcas leges
populo denuntiavit, lib. 2. p. 86. & 87.
atque ita antiquiores leges Romano-
rum ducunt ab Etruſcis originem. Sed
ut videas iſtarum cum illis conſonan-
tiam, proferam in medium aliquas. Pro
cultu Deorum leges habentur: *Ut in
Templo Eſaris nulla aliorum Deorum,
Dearumve ſit imago. Hujus Numinis
nulla ſtatua ab artifice fabricetur: In
medio ipſius templi altare ſit aureum.
Vitulus & agnus ei ſacrificetur: Qua-
ter ſingulis annis populus Eſari ſolemniter
immolet: Dii peregrini ne colantur.*
Pro familiarum regimine autem: *Pa-
rentum liberos omnes juſ eſto relegandi,
vendendi, & occidendi: Parricidæ ca-
pite plectantur: Mulier viro legitime
conjuncta fortunarum, & ſacrorum ſo-
cia illi eſto: Qui contra patriam liber-
tatem attentaverit, vivus comburatur.*
Contra homicidium vero: *Deprebenſi
in homicidio ſtatim moriantur: Nul-
lus morte damnetur, niſi Lucumon con-
ſentiat: Si quis civem hoſtibus tradide-
rit, capite plectatur.* Adverſus autem
impudicos: *Si quis virginem vitiave-
rit, pecuniam, quam viri Capitales ju-
dicaverint, mulieris patri ſolvat, &
virgo uxor illius ſit, nec eam dimittere
poſſit: Qui eodem tempore duas uxores
habet, ut adulteris puniatur: Divor-
tium non permittitur, niſi Eſarum con-
ſenſu.* Ad cohibendum furtum: *Fur
fuſtibus cædatur: Furti quadrupli pena
ſit: Si quis agrum, domum, aut pecu-
niam occupaverit, vel dolo obtinuerit,
duplicem fructum Domino reddere cogat-
ur: Publicam pecuniam, aut ſactam ſi
quis abſtulerit, ſcaragia morte damnabi-
tur: Qui conſulto domos, aut agros in-*

*cenderit, igne comburatur: Judex ſi pe-
cuniam, aut aliud acceperit, capite ſta-
tim plectatur.* Adverſus denique ca-
lumniatores & falſos: *Qui teſtis falſus
fuerit, ignominiam paſſus pereat inhone-
ſte: Qui concivem prodidit, fuſtibus
cæſus è patria ejiciatur: Judicis frater
ne adhibetor: Si quis in juſ vocatus non
venerit, reus eſto.* Extant cum aliis
pluribus in Etruſcarum Antiq. fragm.
libro tertio.

Veruntamen iſtarum omnium Attica-
rum, Romanarum, Etruſcarum, alia-
rumque legum optimarum, Præſcriptio-
nes quippe Tyrannorum adverſus Re-
ligionem, & æquitatem non ſunt inter
leges conſumerandæ, fuit origo prima,
vel à poſteris Noha, vel à Judæorum
Repubblica. Et leges quidem magni
Vandimonis, id eſt, Noha in Fragmen-
tis Etruſcis p. 174. cum Capite VIII.
& IX. Genèſeos coherent. Quæ de
cultu Eſaris præſcribuntur, de Altari,
de Sacrificiis, Aſperſione olei, & Salis
condimento, & aliæ leges quampluri-
mæ conſentiunt cum libris Exodi, &
Levitici, iis exceptis, quæ addiderunt
Augures idololatræ. Quamobrem aut
ſunt fragmenta illa, ut credimus, per-
vetuſta, aut ſolterter, & ingenioſe con-
ſecta.

Quicquid ſentias tamen de Etruſcis
hiſce fragmentis, Romanas, Atticasque
leges, quarum ſupra vidimus concor-
dantiâ, ex Hebraicis natas com-
monſtrat iſtarum, illarumque colla-
tio. Id arduum non eſt ex latis ad-
verſus homicidas, mœchos, fures, ac
falſos teſtes deducere. Moſaicam de
homicidio legem cap. xxxv. num. 5. 16.
& ſeqq. uſque ad 21. invenies apud Pau-
lum lib. v. Sententiarum ſub titulo Ad
Legem Corneliam de Sicariis, & Ul-
pianum lib. VII. de Officio Proconſu-
lis. Quod Moÿſes ſancivit de homici-
diis fortuito, & absque odio patrat
eodem cap. v. 22. extat pariter apud
Paulum ibidem, & Moſteſtinum libro
differentiarum VI. Moſaica lex de per-
cuſſione rixantium Exodi XXI. 18. &
ſeqq. non differt à Romanis apud Ulpia-
num libro de Officio Proconſ. VIII. &
Gregorianum lib. XVII. de Accuſat.
De adulteris vero eadem lex eſt Levit.
xx. 10. atque Romana apud Papinia-
num lib. xv. Reſponſorum ad L. Juliam
de adult. & Marcellum libro xxxi. Di-
geſtorum. Inceſtæ Nuptiæ, quæ da-
mnantur citato Levitici capite v. 17. &
ſeqq. præſcribuntur pariter Ediſto Ma-
ximiani, & Diocletiani apud Papinia-
num ibidem, & Ulpianum in libro Re-
gu-

13.
Cohærentia
aliquarum
legum cum
libris Gene-
ſis Exodi, &
Levitici.

14.
Romanæ &
atticæ leges
derivantur
ex hebraicis.

gulari de Nuptiis. Turpiores concubitus, de quibus v. 13. & 15. ejusdem Capituli xx. puniuntur eadem poena mortis Constituit. Impp. Valentiniani, Theodosii, & Arcadii ad Orientium Urbis Romae Vicarium. Contra Fures eadem lex est in Exodo xxii. à v. 1. ad 15. atque in Constitutionibus Romanorum apud Ulpianum lib. viii. in Edictum, & Paulum lib. v. Sent. ad L. Corneliam de Sicariis. Quadrant denique cum lege Deuteronomii cap. xix. v. 16. contra falsos testes, decreta producta à Paulo libro singulari de Poenis, & lib. v. Sent. ad L. Corneliam Testamentariam. Ex his autem constat Romanas leges ab Atticis, Atticas ab Hebraicis derivatas. Nam Moysen ceteros omnes Legumlatores praecessisse demonstrat Huetius de Demonstr. Evang. cap. viii. & dissertatio nostra cap. i. libri xi.

15. Rerum quidem atque Regnorum vicissitudines legibus haecenus enumeratis, quae fere omnes pertinent ad Jus primum, peculiaria statuta addiderunt: creveruntque tanto numero, ut ante Justiniani tempora septem, ac triginta Juris Conditores, sive legum Compilatores extiterint, enumerati ab Angelo Politiano in Epistola ad Jacobum Modestum Pratensem. Inter illos xxxvii. celebriores videntur Papinianus, quem historiae appellant *Juris Apylum*, & *legis civilis thesaurum*, & à quo olim studiosi legum dicti fuerunt *Papinianista*: Ulpianus plurimum librorum ad Edictum, ad Sabinum, ad Leges, Pro Tribunali, aliisque titulis inscriptorum auctor clarissimus: Paulus, quem Politianus appellat *πολυγραφώτερον*, quod etiam Ulpianum superaverit copia scriptorum: Gregorius, & Hermogenes, qui tempore Diocletiani duos legum Codices ediderunt, quibus tertium adjecit Theodosius comprehendentem Imperatorias Constitutiones à Constantino ad se ipsum.

16. Itaque Justinianus ad certum ordinem tanam Legum multitudinem redigens ex tribus Codicibus Gregoriano, Hermogeniano, & Theodosiano unum proprio nomine inscriptum edi curavit, perfectumque anno DXXXIX. auctoritate sua confirmavit. Veteres deinde leges amplo opere complexus est sub nomine Digestorum, seu Pandectarum. Addidit Juris Civilis Institutiones. Collegit etiam, quae in priori Codice fuerant omissa, aut errata, ediditque accuratorem *Reposita praefationis*: atque hic est Codex Justinianus, quo modo utuntur Jurisconsulti. Huic ad-

ditae sunt *Novellae*, id est, novae Constitutiones, quae Codicis editionem sunt consecutae. Novellis accessere *Authenticae*, sive breves sententiae, quibus novellae, quasi auctoritate Imperatoria fulciuntur. Ita Corpus universi Juris Civilis constat Institutionibus, Digestis, seu Pandectis, Codice, Novellis, & Authenticis. Institutionum libri sunt quatuor continentes universi Juris Epitomen. Digestorum, seu Pandectarum libri quinquaginta tribus voluminibus distincti: quorum primum appellatur Digestum vetus, alterum Infortiatum, tertium Digestum novum; ac sunt in primo volumine libri xxiv. in secundo xiv. in tertio xii. suis titulis, ac legibus dispositi. Codex complectitur libros ix. Constitutionum Imperatorum usque ad Justinianum. Quintum volumen continet alios tres libros Constitutionum, id est x. xi. xii. Novellas cum subjectis Authenticis, clxviii.

Dum textus aliquis hinc profertur, laudatur hoc pacto. D. significat Collectionem Digestorum, seu Pandectarum. ff. nota est ejusdem librorum Pandectarum voluminis; nam librarii substituerunt ff. pro litera Graeca π L. denotat legem. Codicem Constitutionum innuimus litera C. Novellas, & Authenticas prima voce, & numeris allegamus. Sit in exemplo: *L. 8. par. 4. D. seu ff. de liber. & poss. hered.* id est, lege octava, paragrapho quarto in Digestis, seu Pandectis, Titulo de liberis, & posthumis heredibus. *L. Ad dictos 29. Cod. de Appellat.* hoc est, lege, quae incipit *Addictos*, quae est vicesima nona in Codice, titulo de Appellationibus.

18. Praeter Corpus Juris Civilis, de quo haecenus, alter est Codex legum Antiquarum. Comprehendit autem legum Wisigothorum libros xii. Edictum Theodorici in cap. 154. distributum: Leges Burgundiorum capitibus 89. cum additamentis: Legem Salicam: legem Alamannorum constitutam tempore Clotarii Regis: legem Baiuvriorum statutam sub Rege Dagoberto: Ripuariorum: Saxonum: Anglorum, & Werinorum: leges Longobardorum tribus libris expositas: Constitutiones Siculas, sive Neapolitanas sub Imperatore Friderico II. Capitula Caroli Magni, & Ludovici Pii; quibus adde Regnorum omnium, ac Provinciarum statuta. At in his si versetur oratio nostra, erit multa nimis, circumfluens, & dissipata.

CA-